

Plurima Exempla afferri possent, sed hæc sufficiant, cum ex eis, ut spero, satis appareat, me rectè inter se contulisse annos Mogolenses sive Tartaricos, Christianos & Arabicos. Etiam in sequenti Sectione alia producentur exempla, idem confirmantes.

## Annotationes quædam

### Circa Annos Arabicos & comparationem eorum cum Annis Christianis & Tartaricis.

Anni Arabici sunt Lunares 354. vel 355. Dierum, ita ut anni communes ex 354. diebus consistant, embolimæi vero ex 355. Initium computationis horum annorum est à primo die mensis *Moharram* illis anni, quo *Mahomed*, Autor Sectæ Mahomedanæ, à Mecca ad Medinam profugit. Nominatur ab illâ fugâ hæc Epochæ, *Epocha Hegiræ*; vel *Æra Arabica*, quia in Arabia primò initium cepit; sive *Mahomedana*, quia ab omnibus gentibus, quæ Mahomedanam religionem profitentur, recepta est. Quidam eam vocant *Turcicam*, quia inter omnes gentes Mahometanas, Turcæ nobis sunt notiores, utpote nobis viciniore quam reliquæ, & propter commercia & bella, quæ intercedere solent inter nos & illos.

In ulteriori explicatione hujus Epochæ prolixus esse nolo; hac de re enim Chronologi consuli possunt, qui eam accuratè descripserunt, præcipuè *Ulug Beig* & *Josephus Scaliger*. Hoc tantum monendum restat, duplicem occurrere differentiam, in numerando initio annorum Hegiræ. Initium enim hujus Epochæ secundum Astronomos Mahomedanos cadit in 15. Jul. Anni Christi 622. fer. 5. in quâ facta est ☽☾. More verò Politico eadem Æra inchoatur sequenti Die 16. Jul. Feria 6. propter Phasim Lunæ, sive ejus primam apparentiam; à qua non solum Mahomedani, sed etiam Judæi initium mensis numerare solent: Eodem modo Græci antiqui à prima phasi Lunæ menses suos inchoare solebant. Ex hoc capite semper esset differentia unius diei inter numerationem Annorum & Dierum Arabicorum, secundum Astronomos & more Politico. Sed alia

H

diffe-